



506

180

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
DOSIBVS REFRACTIS
MEDICAMENTORVM

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO CHRISTIANO
MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE REL. BVRGGRAVIO NORIMBERGAE REL.

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
D. HENRICO FRIDERICO DELIO
SERENISS. MARGGRAV. BRANDENB. CVLMB. CONSIL. AVL.
MEDICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
ACADEM. IMP. NAT. CVR. NEC NON REG. SOCIET. SCIENT.
MONSPELIENS. ET ACAD. SC. ET ART. RHOTOMAG. SODAL.

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS LEGITIME OBTINENDIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS
IO. CHRISTIAN. EHRENF. GEBAYER
LIGNICENSIS SILESIVS.

D. IVL. MDCCLXV.

ERLANGAE
TYPIS WOLFGANGI WALTHERI.

DISSERTATIO IN AVGVRAIS MEDICA
DE
DOSIBVS REPERACTIS
MEDICAMENTORVM

HIPPOCRATES

Lib. II. Aphor. LI.

*Omne nimium naturae inimicum est; quod paulatim fit,
tutum, cum alias, tum maxime, ubi ab vno ad aliud facien-
da est mutatio.*

PRO GRADU DOCTORIS
SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS
PROMISSIS IMMUNITATIBVSQVE OPTINENDIS
AVTOR ET RECTOR
IO. CHRISTIAN. EHRENF. GEBAYER

ERLANGAE
TYPIS WOLFGANGI WALTHERII



VIRIS
ILLVSTRIBVS EXCELLENTISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS AMPLISSIMIS DOCTISSIMISQVE
DOMINO
IOANNI
HENRICO
R H A N

MEDICINAE DOCTORI
CELEBERRIMO ET REIPUBLICAE TVRICENSIS
SENATORI DIGNISSIMO

DOMINO
IOANNI GESNERO

MEDICINAE DOCTORI
PHYSICES ET MATHESEOS IN ACADEMIA
TVRICENSI PROFESSORI PVBLICO VENERANDI CANO-
NICORVM COLLEGII MEMBRO ACADEMIAE IMPERIA-
LIS NATVRAE CVRIOSORVM ET SOC. REG. SCIENTIAR.
BEROLINENSIS SVECICAE UPSAL GOETTING. PHYSICO
BOTANICAE FLORENTINAE ET PHYSICO MEDICAE
BASILEENSIS MEMBRO

DOMINO
SALOMONI
SCHINZ

MEDICINAE DOCTORI
EXPERIENTISSIMO ET REIPUBLICAE TV-
RICENSIS DVCENTVM VIRO LONGE
MERITISSIMO

FAVORIBVS AC PATRONIS MEIS
AETERNVM COLENDIS
NEC NON

DOMINO
IOANNI
CASPARO
HIRZELIO

MEDICINAE DOCTORI
INCLYTAE REIPUBLICAE TVRICENSIS DV-
CENTVM VIRO ARCHIATRO ET SYNODI ASSESSORI
PATRI DVLCISSIMO OMNI AMORIS PIETATIS
ATQVE HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

Quemadmodum memoriam beneficiorum a VOBIS, VIRI ILLU-
STRES, in me, a Prima Iuuentute, collatorum, nullum tempus de-
leturum est; ita nulla aetas, nullaque impedimenta, obstabunt, quo-
minus gratam, imo gratissimam, de illis VOBIS referam mentem.
Vtinam fortuna benigna permetteret, ut pro dignitate, atque iustis
votis VESTRIS, grati animi documenta exhibere valerem: Sed ma-
gnitudo ac multitudo beneficiorum, mihi a VOBIS tributorum, quo-
rum numerum hic referre nec locus, nec otium permittunt, ae-
que ac Virium mearum imbecillitas, sperare non sinunt, quod unquam
officii mihi incumbentibus ex Voto satisfacturus sim. Interim hu-
manitas VESTRA non dubitare permittit, quin in voluntate mea
qualicumque benignissime acquiescatis, et qualiacumque gratiae men-
tis specimina aequi bonique consulatis. Hac spe ductus, primitias
studiorum meorum VOBIS offerre, ac NOMINIBVS VESTRIS
LONGE CELEBERRIMIS, humillima mente dicare, atque dedi-
care, ausus sum, certissime persuasus, quod leuidense admodum
hoc munusculum beneuola voluntate accepturi sitis. Crescentibus in
posperum viribus meis, et si Deo placuerit, quod ardentissimis pre-
cibus opto, vitam VOBIS, pariter ac mihi, prolongare, occasio
nunquam deerit, plura officiorum VOBIS debitorum monumenta po-
nere. Opto modo, opto ex intimi animi affectu, ut SVMVM
IDEMQVE BENIGNISSIMVM NVMEN VOS omnes quam diu-
tissime superstites esse iubeat! Opto, ut viribus VOS sufficientissi-
mis instruat, quo munera VOBIS imposta rite administrare, at-
que

que DEO pariter ac proximo, suavissimaeque patriae inferuire,
salutemque VESTRAM, et aliorum, pro Virili promouere queatis.

TE, quod attinet, SVAVISSIME PARENS, TIBI praeser-
tim non tantum longissimam vitam, sed et indulgentissimam quo-
que mentem, quam hucusque vberime expertus sum, ex animo
opto. TE enim saluo ac sospite nunquam deerit gratissima oca-
sio, ex doctrinis atque exemplis TVIS nouam utilitatem capiendi,
atque sub autoritate TVA cognitionem meam in dies augendi: at
aderit quoque occasio, animumgratum meum TIBI ostendendi, et si
feri potest, in grauissimis negotiis TVIS TE subleuandi. *Viuite*
ergo, *vigete ac florete per longam annorum seriem salui ac feli-*
ces! Viuite mei memores! Viuite persuasissimi, quod nunquam
in VOBIS colendis ulli cessurus sim! Omni data occasione potius
animum VOBIS deditum monstrare studebo, ad cineres usque per-
manurus,

VIRI ILLVSTRES
AMPLISSIMORVM
NOMINVM VESTRORVM

Dabam Erlangae, d. X. Octobr.
MDCCLXXII.

obseruantissimus Cultor
I. C. HIRZEL.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
DOSIBVS REFRACTIS
MEDICAMENTORVM.



§. I.

officium medici clinici quanquam in eo generatim consistat, vt sanitatem conferuet, et morbos, eorumque causas, tollere nitatur; tamen permulta vtique sunt, quae in hoc arduo negotio ipsi respicienda sunt, quando in casibus singulis finem, quem intendit, assequi cupit. Equidem is, si rationalis medicus esse velit, primo *indicantia*, morbum scilicet cum suis symptomatibus, sibi cognita reddit, ex his, quid agendum sit, intelligit, et sic *indicaciones* format, quas demum *indicatis*, seu remediis, obtinere satagit. Sed oportet tamen, monente summo BOERHAVIO, de cognoscendis et curandis morbis aph. 13. ad amissim ponderare singula, et comparare deinde vniuersa, si auxilia, ad tollendos morbos idonea, nunc indiuiduis applicare studemus. Auxilia ea nunc ex fonte diaetetico, chirurgico, et pharmaceutico deriuantur,

vt tamen omne id remedium morbi esse videatur, quod causam morbi proximam secure tollere possit. Sed corpora ea, quae in corpus aegroti, pro eiusdem receptiuitate, agunt, illudque alterant ad sanitatem, medicamenta strictius dicuntur, quorum operatio concipitur, si actionem, et ab eorum vi et partibus constitutiuis, et a reactione corporis sensibilis, deriuamus. Propinamus itaque medicamenta. Sed limitant hanc propinationem medicamentorum, e fonte pharmaceutico oriundorum, varia, inter quae nunc *dosis* saltem B. C. D. considerabimus, quatenus ea, pro circumstantiarum ratione, solito minor est, quam *refractam* nuncupant.

§. II.

Non equidem nunc tot medicamentorum farraginis mentionem faciemus, quae saepiuscule aut inertia sunt, aut incondita miscela laborant, et officinas, quantumuis in iis profestent, et aegrotos, quibus ea a medicis, diffusas formulas amantibus, et ampullas, cum sesquipedalibus verbis, proiicientibus, porriguntur, grauant. Sed, si et efficacia, et laude sua non defraudanda, pharmaca consideramus, circumscripta eorum propinatio est, vt intelligatur, quantum eorum vice simplici aegrototo offeratur. Hoc *dosis* appellant. Vox autem Doseos ex graeco sermone originem suam trahit, nempe ἀπό τῆς δέδοται *datus est*. Secundum etymologiam significat igitur dosis id, quod datur, vel dationem. Quanquam nunc quidem integra medicamenti quantitas, quae porrigitur, dosis audiat nonnullis, imo et proportionata miscendorum, et vehiculi, quantitas; Medici tamen sub voce Doseos strictius sumtae intelligunt quantitatem medicamentorum aegro exhibendorum, seu porrionem medicamenti, vel simplicis, quae aegrototo homini vna vice praesertim exhibetur.

§. III.

§. III.

Medicamentum, cum sub varia forma, mole, et volumine, porrigatur, eiusdem dosis quoque pro consistentiae et voluminis ratione determinatur; ut dosis itaque, nunc secundum mensuras et pondera satis nota, nunc definite magis, secundum numeros, uncias, drachmas, scrupulos, grana, guttas, manipulos, pugillos, cet. ordinetur. Haec autem dosis medicamenti, quo effectum quendam in morbis salutarem intendimus, pro formatarum indicationum, aetatis, temperamentum, vitae generis, climatis, seu loci, quem inhabitant aegroti, vis morbi, praesertim temporum in morbis ratione, et ipsius medicamenti efficacia, nunc maiori nunc minori, determinanda est sedulo.

§. IV.

In dosibus medicamentorum, quae communiter determinantur, consuevere medici, rationem corporis humani *adulti*, seu consistentis aetatis, habere. De hoc itaque sermo est, si de dosibus ordinariis loquuntur. In concinnanda autem harum dosium tabula otium nobis fecere b. IVNCKERVS *Conspect. formul. medic.* p. 4. Cel. GAVBIUS *Lib. de method. concinnandi formul. med.* p. 25. et nuper Cl. PARENTI in *libro singulari de dosibus medicamentorum*. Quibus notulae eae addi queunt, quae sub medicamentorum formulis in *Dispensatoriis*, praesertim *Pharmacopoeia Wirtenbergica*, occurrunt, et in tabula posologica *pharmacopoeiae pauperum Edinburg.* quas doses quoque, pro intentione medici, et circumstantiarum ratione, secundum calculum mathematicum, explicare adlaboravit D. THEOD. BALTHASAR in diatriba de dosibus medicamentorum. Erlang. 1719. ubi et de refracta dosi p. 144. nonnulla tantum prolata sunt, cuius in sequentibus verior facienda erit mentio.

§. V.

Sed dosiſ haec ordinaria medicamentorum vario modo reſtringi limitarique poteſt. Primo enim hic aegroti *aetas* conſideranda venit. Homo ſcilicet per ſtadia varia curriculum vitae ſuae abſoluit, et in hiſ multis obnoxius mutationibus euadit. Non ſolum anima, ſed etiam corpus diuerſis vitae ſuae temporibus diuerſas quoque patitur viciffitudines. In aetate illa teneriori, quam infantiam appellare ſolemus, corpus hominis eſt maxime debile, partes eiufdem nondum adeo firma gaudent compage, hinc variarum ſubiectum moleſtiarum erit, vt ex principiis physiologicis et pathologicis eluceſcit. Corpus hominis neonati ab alterationibus aeris magnopere affici, quis eſt, qui negare audet? Leue quid corpus infantis mutare valet, quod puerum, et adultum vix adſcit. Si igitur leue quid corpus infantis poteſt alterare, vt experientia docet, doſin etiam medicamenti minorem ſufficere pater, quando infantis ſtatum praeternaturalem in ſtatum naturalem mutare intendimus. Egregie itaque operam ſuam locarunt Cael. IYNCKERVS et GAVBIVS, quando loc. cit. tabulam exhibuerunt, ex qua pater, quanam doſis infantis porrigi debeat, ſi pro adulto determinata quaedam, et ex effectu et operatione, per experientiam nota, medicamenti doſis aſſumatur. Vt ita, ſi v. c. doſis, pro adulto, ſit drachma vna, pro adoleſcente ſit pars dimidia, ſcilicet drachma dimidia, pro infante trium annorum pars ſexta, ſcilicet ſcrupulus dimidius. Sed licet doſes viribus corporis, et aetati, proportionatae eſſe debeant, tamen non conſtanter hanc proportionem obtinere, quotidiana docet obſeruatio, et multae dantur a regula exceptiones. Dantur enim robuſti adoleſcentes, qui maiorem medicamenti doſin, quam infirmi adulti, perferre poſſunt. Dantur infantes, prae aliis generis ſui maiorem doſin poſtulantem. Infantes ruſticorum et infantes Ciuium, nobi-

nobiliorumque parentum non semper aequali mensurandi sunt modulo. Constitutio corporum horum diuersa, diuersitatem etiam dosum exposcit.

§. VI.

Corpora porro et aduulorum quadrata, haud adeo magna sensibilitate praedita, dosim non paruam requirunt. Corpus enim robustum, quod densioribus et crassioribus fibris gaudet, magna etiam vi resistendi praeditum est. Potest igitur facile fieri, vt eiusmodi corpus medicamento minori in dosi propinato resistat, eiusque actionem impediat, et eludat. Denique temperiei, sexus, diaetae, consuetudinis, dispositionis singularis, sensibilitatis, vel etiam insensibilitatis, individualis, quam idiosyncrasiam vocant, imaginationis vis, et alia, dosium variationem postulant, siquidem v. c. laxiores fibrae maiorem impulsum et irrationem desiderant, quam sensiliores non ita bene ferunt, et eadem dosis in aduersis post aliud quod tempus eundem effectum non producit; et leuis contra v. c. stimulus diaphoreticus, iusto tempore exhibitus, desideratam efficit operationem, eamque, quam fortius bezoardicum, in morbi principio, et vbi procliuitas deerat, producere non valebat.

§. VII.

Non omni autem *tempore* Doses alias consuetae, et in adultis, adhiberi possunt. Dantur multae conditiones, quae Medicum dosim ordinariam relinquere cogunt. Necessè interdum est, vt dosis, pro habitus, et temperamenti, climatis, et morbi ratione vel augeatur, vel diminuatur, et ita partiendo, seu diuidendo quoque mutetur. Si vltimum fit, tunc *Dosis refracta* oritur. Sub Dosi igitur refracta intelligimus diminutionem doseos, dum ita non integra, et alias consue-

ta dosis, sed vna vice eiusdem dimidia pars, vel tertia, et adhuc minor, aegro exhibetur. Quoniam itaque hac ratione Dosis ordinaria diuiditur, clarum inde est, portionem quamdam refringi, haec ergo vocatur *dosis refracta*. Exempla autem rem illustrabunt. Radicis v. c. *Ipecacuanhae* Dosis ordinaria, si vomitum concitare volumus, pro adulto est scrupulus vnus, ad drachmam dimidiam, dosis refracta itaque continebit, pro re nata, grana III. V. VIII. X. *Rhabarbari* puluis, si inde effectum laxantem expectamus, ad drachmam vnam propinari, imo cum sale quodam digerente et aperiente misceri debet; sed tamen quotidie nonnullis aegrotis scrupulus vnus huius pulueris dari potest, qui itaque medicamento dosis est refracta. *Essentiae* vel *Tincturae* cuiusdam *diaphoreticae*, si hanc diaphoresin, adhibito legitimo regimine, inde expectamus, guttae XXXX. vel LX. propinari debent. Quodsi vero refractam amo dosin, ea ultra XV. vel XXV. guttas non ascendet.

§. VIII.

Causae itaque, cur medicus saepiuscule *refractam* medicamento *dosin* adhibeat, *indagandae* nunc sunt, quas dum proponimus, simul praestantiam, et vtilitatem methodi huius medendi, in certis morbis, eorumque stadiis, declaramus.

- I. Vocamus autem doses refractas tunc demum in usum, quando *non plenam operationem*, sed tantum aliquam, quae a medicamento proficisci potest, producere intendimus.
- II. Inchoamus itaque saltem medicamento actionem, quae per subsequentes doses, quarum efficacia *lente procedit*, absolvitur.
- III. Praesertim in aegrotorum *debilitate* succurrimus refractis dosibus, dum *integras*, *vires naturae* vel *prostratae*, vel *labefactatae*, non ferunt. Excitato itaque frequen-
tiori,

tiori, sed moderatori, stimulo, pro re nata *resolvente, euacuante, roborante*, hasce vires intendere, resuscitare, et ad actiones nouas corpus aegroti sollicitare, intendimus.

IV. Morbi materiam et causam proximam, quam vi, atque impetu, adgredi rationalis methodus vetat, ita mobilem reddimus, et sensim ad euacuationem disponimus. Quod itaque vi non potest, disiiicitur arte ministra, et hoc ipso

Gutta cauat lapidem, non vi, sed saepe cadendo.

atque sic medicus naturae minister ipsam imitatur naturam, quae ex GALENI effato Lib. V. *de causis symp.* conflictatur et colluctatur contra ea, quae adfigunt, donec arietando cominuerit, et diffregerit, et sensim maturans perfectam solutionem faciat. Comm. 3. in Libr. 3. Epid. Hippocr. Conf. *Magnifici ac Illustris PRAESIDIS Gedanken vom Fieber, in Erlang. gelebrt. Anzeigen 1749.* N. 45. p. 355.

V. Iuuamus ita naturam, quae *excretionibus criticis molitur*, dum hac ratione curamus, ne inchoatum negotium maneat incompletum, et suppetias ferimus, si vires exhauriendo omni morboſo impares fuerint. Moderate autem istud effcimus, ne calcar minus modeste addendo, sponte currenti proximam sternamus ad lapsum viam.

VI. In motuum *exacerbationibus*, quando his medelam moderantem obponimus, refractis dosibus prouidemus, quo minus naturae arma e manibus quasi extorqueamus, sed motus, causae materiali oppositos, modeste, ad salutarem tamen finem consequendum, dirigimus.

VII. *Generosiora*, et *heroica* sic dicta, imo *roborantia* medicamenta, debito tempore, ita propinata, non adeo cum im-

B

petu

peru operantur, neque merendum alias *damnum* producunt, si eorundem doses diuidimus, et adductis facpiuscule copiis, iisque nouis, per interualla, hostem vincimus, et *cunctando* cum ratione restitimus rem. V. *Diss. de dannis e medico nimis cunctatore oriundis, sub Illust. PRAESIDE habitam. Erlang. 1757.*

VIII. Prouidemus quoque refractis dosibus medicamentorum, quamuis morbis conuenientibus, ne nimis tentando, et *laesas partes* nimis contrectando, in conclamatis praecipue casibus, corpus, quod seruari adhuc poterat, nimis cito, per doses medicamentorum nimis largas, ad incitas redigatur.

§. IX.

Quum igitur dosium refractio medicamenta concernat, illa vero, vti ex Therapia generali pater, et antecedenti §. simul indigitatum est, vel *euacuantia*, vel *alterantia*, vel secundum aliorum opinionem quoque *moderantia* sint, quae vltima tamen ad *alterantia*, quia his, si motus vel excitantur, vel temperantur, vel solida, vel fluida, vel vtraque, *alteramus*, iure meritoque possunt referri; nonnullarum ex his medicamentorum classibus specierum, quantum nempe ad eorum doses, praecipue refractas, attinet, mentionem faciemus.

§. X.

In medicamentorum itaque *euacuantium* applicatione doses refractae vsum frequentem habent. Sub euacuantibus medicamentis intelligimus ea, quae in corpore nostro aliquid diminuunt, seu quae depletionem contentorum ex quolibet corporis nostri cauo producere solent. Istam depletionem vel per artem, vel sponte, fieri videmus. Prius fit e. g. per
Venae

Venae Sectionem, Scarificationem, Vomiturum, Purgationem etc. Venae Sectionem, Scarificationem, Vomiturum, purgationem, nomen euacuanrium mereri ex antecedentibus patebit. De methodo autem medendi, qua chirurgica fit ope euacuatio, quo Venae Sectionem, arteriotomiam, scarificationem, paracentesin, aliasque operationes chirurgicas, quae scopo euacuandi instituuntur, refero, in praesenti ex instituto non agimus, quanquam et in his refracta saepius euacuatio praestet, quam ea, quae fit cum impetu: vt tamen, si opus fuerit, haec euacuatio non nimis parca, et insufficientis, quoque esse debeat. Conf. ILLVSTRIS PRAESIDIS *Abhandlung von Lust Laessen*, in *Erlang. gel. Anzeigen* 1752. N. XIII. p. 97. Euacuantia potius, quae e fonte pharmaceutico desumuntur, et sub quibus emetica, cathartica, diaphoretica, diuretica, apophlegmatizantia, tam per os, quam per nares, saluantia, expectorantia, sanguinem abundantem diminuentia, res in corpore nostro plane praeternaturales habitantes ex illo expellentia, intellexisse velim, quatenus nempe in refracta dosi propinantur, nunc paululum lustrabimus.

§. XI.

Primo itaque *emetica* considerabimus. Horum plurima, vt B. SCHVLZIO in *Therap. general.* p. m. 7. videtur, sale quodam acri stimulante pollent, ideoque caute porrigenda sunt. Si enim maiori copia dentur, tunc et hyperemesin, et erosionem ventriculi creare, et septicam quasi, et arrodentem vim, exercere, facile concipimus. Nihil hic de emeticis fortioribus commemorabo, nempe de Elleboro albo, cuius vsus HIPPOCRATIS tempore frequentissimus erat, quamuis is et *veratro* iam suos posuerit limites. Lib. IV. aph. 13. 16. nihil de fedo vermiculari, quod sale volatili gaudet, vitro antimoni, aliisque, monebo, sed tantum de vno, aut altero eme-

tico, apud nos hodie etiam vſitato, nempe de *Radice Ipecacuanhae*, et de *Tartaro emetico* quaedam enarrabo. Radicis Ipecacuanhae doſis ordinaria pro adulto eſt ſcrupulus vnus, ad drachm. dim. et in robuſtioribus vltra. Doſis igitur huius radicis refracta erit, ſcrupulus dimidius. Praeſertim ſi haec radix cum vehiculo appropriato, et adiuuante ſalino, propinatur, tunc poteſt optime in refracta doſi exhiberi Cf. HEISTER. *Comp. Praet.* p. 112. Porro Tartari emetici doſin ad grana III. vſque ad IV. ſe extendere ſcimus. Refracta igitur huius emetici doſis erit granum vnum aut granum vnum et dimidium.

§. XII.

Multae circumſtanciae adſunt, quae Medicum, in applicatione emeticorum, eorum doſin ordinariam relinquere cogunt. Nauſea iam, quam plures ex timore eiusmodi remedii ſentiunt, non magnam, ſed paruam, doſin poſtulat. Porro dantur morbi, qui vomitum quidem inſtituendum iubent, ſed quum vires aegri interdum ex emeſi debilitentur, caute certe in applicatione emeticorum procedendum eſt. Vnius tantum morbi, in quo emetica prouide applicanda ſunt, mentionem hic faciam. In nonnullis Febris acutis vnicum emeticum quidem poteſt quam maximo leuamini eſſe, ſi ſcilicet ſub initium, et in iuſta doſi, porrigitur. Multi Medicorum applicationem emeticorum in Febris acutis omnium cura reiiciunt, condemnantque. Largior etiam lubentiſſime, in omnibus his febris emeticis non opus eſſe. In iis febris autem, vbi minera earum in primis viis quaerenda eſt, emetica iuſto tempore, et in iuſta doſi, propinata, maximam vtilitatem adferunt, et interdum morbum breui feliciter tollunt, prouti et eorum vis in tollendo catarrho ſuffocati-

catino, insignis est. Diuus HIPPOCRATES illud tempus Aphor. XXIX. Sectionis II. rite nobis determinauit, dicens: Incipientibus morbis, si quid mouendum videtur, moue. Vigentibus vero quiescere praestat. In quam sententiam quoque B. HOFFMANNVS Med. Rat. Syft. T. III. p. 483. tranfit, et emetica sub initium acutarum febrium minime reiiicit, sed potius commendat. In febribus enim biliosis, vbi materia peccans in primis viis later, nec sponte eicitur, emericum lene, iusto tempore, et in iusta dosi applicatum, remota causa, morbum, eiusque symptomata, rollere feliciter potest. Per radicem ipecacuanhae igitur, sub initium, et si vires aegri consuetam dosin, vna vice assumendam, ferre non valeant, partitis vicibus, et ita in refracta dosi exhibitam, huic Tragoediae finem statim interdum imponere possumus, dum alias, relicta materia.

Mala per longas inualuere moras:

Accipiemus igitur scrupulum vnum Radicis ipecacuanhae, et propinabimus in vehiculo quodam apto, in aqua quadam destillata, e. g. in aquae C. B. vel flor. Sambuci quatuor uncias, addita quoque nitri et salis medii parca quantitate, imo et syrapi de Cich. c. Rhab. tunc mixtura quaedam oritur, cuius vnum, aut alterum, cochlear, omni semihora, aut omni hora, exhibemus, et continuamus, donec emesis sequatur. Quis non videt, tunc Ipecacuanham in refracta dosi porrigi. Celeberrimus D. WAGNERVS cuius B. HEISTERVS in Compendio practico suo p. m. 112. mentionem fecit, tali remedio, in hac dosi adducta, in Febribus, vt SYDENHAMVS illas olim nominabat, nouis, aut, vt HEISTERVS vult, in *Magen und Darm Fiebern*, optimo cum successu vsus est, et breui, cum suis causis, angustias, diraque symptomata sustulit. Dantur etiam adhuc aliae Febres, quae nomen acutarum ducunt,

cunt, quibus lenia emetica decursum faciliorem reddunt. Huc febres nonnullas exanthematicas, e. g. variolas, morbillos, et ipsam purpuram, refero. Longe in his morbis mitiora incedent symptomata, si in principio leni emetico materia, in primis viis hospitans, e corpore nostro eliminatur, et restitans in sanguine, ope inducti per vomitum motus, ad excretionem disponitur. Quare et in his Febribus simili modo et Ipecacuanha vsus est WAGNERVS. *Antimoniata* etiam emetica in refracta dosi exhibentur; vbi scopus quidem non est, emesin directe excitandi, sed tantum humores aliquo modo mouendi, et eorum stases impediendi. Ex antimoniatibus emeticis securiora sunt: Regulus antimonii medicinalis, tartar. emet. praecipue autem sulphur antimonii. Ex his scopo resolvente, et interdum euacuante, in intermittentibus febribus, in scabie, et tartarum emericum, et regulum antimonii medicinale, illum ad grana aliquot, hunc ad scrupulum dimidium et integrum, alias exhibemus. Praesertim autem sulphur antimonii auratum, ad grana VI. VIII. datum, vomitum ciet, in Catarrho suffocatiuo admodum proficuum. Illud autem, quod sub vltima praecipitatione decedit, melius operatur, et ad grana pauciora propinatum effectum resolutorium et dia-phoreticum producit.

§. XIII.

Similia valent de altera euacuantium classe, scilicet de *catharticis*, quae maiori in vsu, quam emetica sunt, et suis quoque cautelis opus habent. Ex Therapeuticis constar, Catharsin tres gradus habere, nempe lenitionem, laxationem, et purgationem. Lenientia emolliunt, et vias lubricas faciunt, laxantia autem magis stimulant, abstergunt, resoluuntque, purgantia denique maxime irritant, et motus molestos in corpore nostro, nempe torminosos, spasticosque producere solent.

lent. Purgatio caute igitur, et non in omnibus subiectis, non omni tempore, nec relictis corrigentibus instituenda est. Experientia frequens damna, quae exorta sunt insignia ex propinatione purgantium incauta, nobis consignata reliquit. Empiricorum est anchora sacra, ad quam in molestiis corporis, cuiuscunque generis sint, fugere solent. Referente AVRELIO CORNELIO CELSO Lib. I. de med. Cap. III. ASCLEPIADES illa, tempore suo, propter damna, quae interdum effecerunt, in Volumine, quod composuit *de tuenda sanitate*, iam iam relegare ea, iure quodam, conatus est. Validis enim medicamentis corpus purgare in pluribus casibus est periculosum. Detrahemus quidem illis minime omnem laudem, ut potius multis in morbis ea esse necessariam concedamus, in iis puta, ubi humores pituitosi nimis abundant, et subiecta fuerint minus sensibilia. Quis utilitatem eorum v. c. gummi guttae, Elaterii, Roob. ebuli *cer.* in refracta dosi propinatorum, in hydrope, si non adeo fuerint laesa viscera, plane negabit, licet non in omni hydrope catharsis fortior, seopo euacuandi, *institui* nequeat, sed euacuatio mox per diuresin, mox per diaphoresin, felicius procedat. Conf. *Illustris PRAESIDIS* Diss. de *Taraxaco* §. 33. Quae cum ita sint, purgationem et emesin provide suscipiendam esse, facile inde intelligemus.

§. XIV.

Maior laus ergo illis remediis manet, quae clementiora sunt, et repetita vice humores peccantes per aluum subducunt. Ex horum numero sunt *Pilulae* sic dictae *balsamicae* quarum magnus numerus hodiernis diebus prostat. Hae etiam quidem deobstruunt, referant, euacuant, sed minime valide, seu cum impetu. In his purgantia refracta dosi corporibus propinantur. E. g. *Pilulae balsamicae* BECHERI, qua-

quarum vna dosis, referente B. HOFFMANNO l. c. p. 427. vix tria purgantium grana capit, quoniam aloen probe cicuratum, et extractum hellebori, cum temperatis balsamicis, gummatibus, et extractis amaris, continet, et inde nomen laxantium per epicrasin, quorum variae species, in quibus variatio delectat, dantur, merentur. Laxantia talia solent magis in refracta dosi applicari, quoniam tunc intentio non purgandi, sed resoluendi materias, easque blande per aluum educendi, prodest, quaeque resolutio lente saepiuscule procedere debet, ne ea euadat noxia. Conf. nuperam III. PRAESID. Diff. de resolutione noxia §. 9. Laxantia itaque talia intentioni optime respondent, sicuti et alia, vt Manna. Rhabarb. Senna. Centaurium minus. Aloë. quorum saepe quarta pars doseos, si adhuc stimulus salinus accedat, e. g. ex arcano duplicato, aut Cremore Tartari, aut alio ex sale, sufficit. Aloë praeprimis inter laxantia locum occupat, si ea probe prius a principio resinoso, sulphureo, acriori, debite liberata sit, nec in magna, sed in refracta, dosi cum extractis amaris, et temperatis balsamicis in mixtionem abiierit. Et hoc BECHERVS in compositione pilularum suarum, postea variis modis adhuc correctarum, obseruauit, quare commendationem inde merentur quam maximam. Aluum blande mouent, et intestinorum tonum, in multis morbis debilitatum, restituunt. Contra aloëtica cruda, in maiori dosi exhibita, multa detrimenta post se relinquunt. Orgasmm magnopere sanguini inducunt, et nonnullas excretiones, praecipue in illis, qui his indulgent, producant, vt in plethoricis. Notissimum enim illud opprobrium est, quod aloëticis in genere multi obrudunt, nempe quod ad fluxum haemorrhoidalem, saepe minus necessarium, determinent. Et non omni veritate hoc opprobrium caret, si aloëtica nempe non rite correctata sint, et iusto maiori dosi, subiectis praecipue siccioribus, propinentur, et naturae intentioni fluxus iste con-

con-

contrarius sit, et molimina putata, vt nuper optime monuit
 Ill. PRAESES in *Fraenkiſch. Sammlungen* Part. XLII. p. II.

§. XV.

Sed ficcioribus his ſubiectis, praecipue hypochondriacis, quanquam aloëtica minus appropriata iudicemus, poſſunt tamen lenientia, et laxantia, poſcente ſic re, in forma quoque liquida, in refracta quoque doſi, propinari, qualia ſunt: Decoctum Tamarind. Infuſum Laxat. Vienn. Mannagett. etc. ad Vnciam vnam, vel vnciam vnam et dimidiam, cum haec alias ad vncias tres propinari ſoleant. His non tantum aluus humectatur, et fibrae ſpaſino laborantes emolliuntur, ſed et tantum liquorum, quantum alias requiritur ad ſolutionem purgantium ficcorum, et abſterſionem acrium inteſtinis adherentium, e fontibus inteſtinorum non ſecernitur, quae ergo non exſiccantur. Deinde lenioribus, ſed repetitis, euacuantibus etiam praecauemus, ne incommoda alias alui conſtipatio, tantopere effectum laxantem excipiens, inualeat. Tacemus, in phtiſi pulmonali, refractas talium laxantium doſes, et ſuborta reuulſione, tuſſim leuare, et officinam digeſtionis, communiter ſimul oneratam, ab impuritatibus, et inde pendentibus ſymptomatibus v. c. cardialgia, ſoda, flatibus, bile, quae in his iracundis ſaepeuſcule turgent, liberare, ideoque haud contemnendo leuamini eſſe aegrotis.

§. XVI.

Nunc ad aliam euacuantium claſſem, ſcilicet ad *diaphoretica*, me conuerto, quorum praecipue uſum, ſi in refracta doſi exhibentur, monſtrabimus. Diaphoreſin, vt cathariſin, gradus agnoſcere, Therapiae generalis principia nos docent. Diaphoreſis enim eſt vel halituoſa, vel aquoſa. Illa fit per tranſpirationem ſic dictam inſenſibilem, cuius hiftoriam SANCTORIO praecipue debemus, quaeque, ſi paululum aucta, et ſenſibilis

C

quo

quoad cuticulam madidam, facta fuerit, diapnoe nominatur. Haec autem procedit, quando sudor in aquosa magis et guttularum forma, per cuticulae poros, vasis cutis exhalantibus respondentes, fertur. Medicamenta igitur, quae huic excretioni fauent, secundum hos gradus diuersa sunt. Alia enim sudorem largiter, alia leniter, promouent, alia suppressam tantum transpirationem restitunt. Illa sudorifera, graecis dicta hydrotica, sunt, haec diapnoica appellantur, quae in plurimis morbis proficua admodum sunt. Diaphoretica autem suas agnoscunt cautelas. Non tantum enim ad tempus, sed et ad dosin, qua propinanda haec remedia sunt, probe attendendum est. Quod ad tempus attinet, notari meretur, quod haec sudorifera, inter quae bezoardica, et ob effectum quem edunt, alexipharmaca, referuntur, quaeque praecipue in febribus intermittentibus, vt et acutis, exhiberi solent, in declinatione Paroxysmorum febrilium, minime autem sub initium, porrigi debeant. Secundum enim Practicorum, tam veterum, quam recentiorum, obseruationes, nulla febris absque sudore soluitur. Si igitur in fine Paroxysmorum blanda sudorifera damus, tunc naturae ministri nominari iure meritoque meremur. Quum autem sudorifera virtutem suam, et in resolvendo humorum massam, motumque intestinum excitando, et in motu cordis arteriarumque augendo, praecipue exercent, et tunc circulum sanguinis velociorem reddant, et humores a centro corporis ad peripheriam cutis, per quam sudor excernitur, propellantur, quae propulsio, a principis medicamentorum diaphoreticorum acrioribus, oleosis, resinosis, salinis volatilibus, hinc calidioribus, quibus nervosae, et musculares vasorum fibrillae incitantur, pendet; caute in applicatione horum procedendum esse, facile inde colligitur. Cum enim positiua, et strictius sic dicta, sudorifera circulum sanguinis vehementiorem reddere, et inde sanguinis orgasmum inducere possint; ex orgasmo autem plura mala pro-

propullent, et v. c. e maiori sanguinis per vasa motu, eorundem distensiones, relaxationes, et inde stagnationes, et stases, inflammationes, interdum humorum extravasationes, oriri queant, patet inde, non diaphoreticis oleum camino addi, nec ea promiscue in largiori dosi adhiberi debere. Quamquam autem infusa aquosa, et thesiformia, e. g. rad. Pimpinell. alb. Scorzon. Dictamn. Carlin. Imperator. Sarsaparill. Herb. C. B. Scord. Scabios. Chamaedr. Chamaeopyt. Flor. Sambuc. cet. imo non iners certe antimonium diaphoreticum, etiam suos, praecipue in sensibilibus, limites agnoscant, tamen in spirituosorum, et salino volatilium, v. c. Ess. lignor. alexiph. Stahl. Tinct. bezoard. Wed. Mixt. simpl. Ess. Succin. Spir. bezoard. Buff. Spir. Corn. Cerv. Sal. volat. oleof. Sylu. Balsam. vitae, Camphorae cet. applicatione maiori adhuc opus est, ob rationes modo adductas, cautione.

§. XVII.

Licet enim materiam peccantem e corpore per peripheriam eliminent haec diaphoretica essentificata, et in morbis chronicis, et sic dictis frigidis, v. c. catarrhalibus, arthriticis, scabiosis, ad guttas XL. L. et ultra, exhibeantur, tamen refracta magis dosis, e. g. ad guttas XV. XX. XXV. praestat in Febris praecipue acuris, inflammatoriis, imo et exanthematicis, quando vel legitimo tempore *crisi*, quam natura per sudorem molitur, vel staseos discussionem, et exanthematum eruptionem, iuuare volumus. Horis itaque remissis et matutinis omni bihorio, vel pro re nata quavis hora, hoc modo v. c. Essentia alexipharmaca STAHLII, et in febris peccoralibus Essent. Cascarillae vtimur, quae saepiuscule vobis responder, et desiderata efficit, absque graui inducto organismo, dum ira intentionibus, et rationibus, fit satis §. 8. n. III. et V. adductis. Vires simul hac ratione aegrotorum languentes, et motus, alioquin non sufficientes, excitamus, ideo-

que haec methodus, quatenus excretionem blande promouendo naturae onus detrahimus, simul *analeptica* est. Plures hinc vidimus, qui dum extrema agere videbantur, hac ratione ad se, et cum sanitate in gratiam, redierunt. Nisi in aliis alia fata. et sub legitimamethodo, iusserit materiae morbificae singularis indoles, et summi numinis decretum.

§. XVIII.

Nec est, cur vsum Essentiae dissuadeat ea obiectio, quia, si spiritum praecipue vini spectes, medicamentum inter calidiora numeretur. Refracta enim dosis ea est, quam suademus, ideoque orgasmum cauemus! Quid! quod ipsum *vinum* in debilitate febrili in refracta dosi possit exhiberi, quod et putredini resistit, et tonum fibrarum vitalem intendendo, sufflammatas earum vires restituit. Quare Cel. PRINGLE in languore febrili eius vsum magnopere commendat, in *Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee*. Et Ill. PRAESES illud, suo tempore, cum Iulapiis analepticis, egregio cum effectu, miscuit, imo et solum in refractis haustibus propinavit. V. EIVSD. *Fraenkische Samml.* part. XL. p. 323.

§. XIX.

In Febribus intermittentibus, declinante Paroxyfimo, Ess. alexipharmaca STAHLII in refracta dosi etiam optime potest applicari, cum huius ope transpiratio, et diaphoe, siccum calorem excipiens, leniter, et cum fructu, possit promoueri, viresque restitui, praecipue, si cum liquore minerali anodyno HOFFMANNI iungatur. Spiritus quidem bezoardicus BVSSII alcalino volatilis est, ideoque in febribus exanthematicis, ubi alcaliscentia humorum praesto est, cautissime vsurpandus. Sed si huius refracta dosis datur, lenis tantum stimulus additur, et exanthematum excretio promouetur, aut eadem retrocessa denuo expelluntur, sicuti et, sub hac conditio-

tionem, etiam sal C. C. volatile, seu spiritus C. C. locum habere potest. V. III. PRAES. *Diff. de Febre afebr. p. 35. et de resolutione noxia. §. 15.*

§. XX.

Simili quoque ratione in *aliorum medicamentorum euacuantium* applicatione procedere possumus, si vel *expectorationem, diuresin*, imo et sanguinis *haemorrhoidalis* et *menstrui*, si res ipsa, et *evacuatio*, postulat, excretionem promouere studeamus, vel si *mercurialia* morbis venereis obponere visum fuerit. Ut tamen simul moneamus, minime nos in eam sententiam transire, ac si in omnium morborum curatione solummodo doses refractae exhibendae sint, cum certe aut vis morbi, aut subiecta robustiora, aut partium solidarum torpor, aut periculum in mora, efficaciorum, imo et ordinariam auctam dosin, pro re nata postulent, quae cuncta medici clinici discreti iudicium requirunt, ne nimia quoque cunctatione rem perdat, seu opprobrii istius reum se faciat: *den Peltz waschen wollen, und nicht nass machen.*

§. XXI.

Non tantum autem circa *euacuantia* medicamenta refractae doses ratio habenda est, sed et in *methodum alterantem* dietae cautela cadunt. Siue enim humores spissos viscidos resoluere, tenuiores incrassare, impuros corrigere, acres inuoluere velimus, siue partes solidas nimis strictas relaxare, relaxatas stringere, motus languentes excitare, nimis excitatos componere, satagimus, nihil imperuose hic agendum esse, quilibet videt, sed ita rem agere decet, *ut moderata duvent.*

§. XXII.

Cuncta haec vero, quo minus vberius expendamus, limites, quibus circumscripti sumus, vetant. Sufficiat *primo* indicasse, *temperationem*, et motuum, qui nimii videntur, modera-

tionem, et sopitionem melius per doses refractas institui, quam si Claua quasi Herculea morus vno ictu supprimantur, et arma naturae, quibus sese causis morborum obponit, et pro morbi ratione,

ingruit, et vitae luctando destruit hostem,

confestim eripere. Celebratissima sunt, et suis temporibus vtilissima, sic dicta *nitrosa*. Quanquam quidem nitrum in substantia possit ad scrupulos interdum dari, tamen in calore febrili praestat eiusdem refracta, et repetita dosis ad grana IV. ad VI. restricta, ne per subitum inductum refrigerium coctio humorum pathologica turbetur et infringatur, vel eruptio sudoris, et praecipue exanthematum, quam saepiuscule natura ope paroxysmi molitur, retardetur, seu, et cum vitae periculo, supprimatur. Similis ratio habenda est *Iulapiorum* refrigerantium et acidulorum, imo *et emulsionum refrigerantium*, quae, quamuis suo tempore eximius vsus et locus hisce sit, tamen, ne dicta damna emergant, nec magnis haustibus subito ingurgitanda sunt, nec diu nimis, et in largiori quantitate vsurpanda, sed sitis parciorebus haustibus fallenda. Tacemus eam noxam, quae, si peccatur, infertur eodem modo, quando *haustum frigidum* communium potulentorum assumunt, vnde et humores expansi e calore subito in quietem deducuntur, stagnationesque et stases oriuntur, et partes solidae ope caloris dilatatae, subito stringuntur, et sic noua stagnationum, et obstructionum occasio subnaescitur.

§. XXIII.

Multo minus itaque ad largas anodynorum, opiatorum, et narcoticorum doses vna vice oblatas, properandum est. Rariores certe sunt casus, vbi pro symptomatum vrgentium vehementia,

Praestat, componere fluctus,

et opiata, v. c. *Laudan. opiat. Laudan. bystevic. Mass. Pil. de Cynoglossa. Tberiac. coelest. ad grana III. vel Laud. liquid sydenb. ad gutt. XV. statim exhibere; siquidem eo maior sequitur partium solidarum atonia. quo maior antea fuit earum actio, et opiata sub initium tamen orgasmum sanguinis augere videntur, quem tamen, ex principio eorum vaporoso, maior excipit remissio. Itaque praestat talia anodyna in refracta dosi sic exhibere, vt ea. quae in solida forma prostant, cum pulueribus miscantur, ea proportione, vt quamuis dosin granum dimidium ingrediatur, et repetitis tunc dosibus demum id efficiatur, quod vna vice tuto fieri non poterat. Ea quoque ratione symptomatum rationem habemus, quae, si parca dosi placari possunt, larga non opus habent. quae damnum inferre potuisset, si magis, quam necesse erat, datum esset.*

§. XXIV.

Adstringentium vsus inprimis prudentiam, et exquisitum medici iudicium exposcit. Vita sanitasque nostra circulum humorum liberum postulant, adstringentia autem eum retardare, atque vasorum lumina angustare possunt, ideoque caute sunt in vsum vocanda. Scimus per experientiam tristes illos effectus, ex applicatione eorum improvida, et antequam illud, quod stagnauerat, resolurum fuerit, seu antequam quoque iusta excretio peracta est, ortos. Febres lentae, cachexia, rumores oedematosi, hydrops, et aliae noxiae sequelae his originem suam saepiuscule debuerunt. Roboratio equidem partium solidarum, et restitutio toni, iusta est in declinatione morborum, et vbi sponte tonus redire recusat, medica indicatio. Sed eadem saepiuscule partes solidae, dum debilitatae sunt, efficiunt, vt et partes fluidae stagnantes non rite moueri, et discuti possint, et ex minori resistentia in spatiis cellulosis, organisque secretoriis, oriantur quoque nouae accumu-

mulationes. Itaque in tali statu, quamvis nondum morbus in declinationem pronus sit, medicamenta dari possunt, quae stringendo resolvunt, et hoc respectu roborantia, cardiaca et morbo appropriata esse possunt. Ex horum numero eminet praecipue *Peruvianus Cortex*, qui igitur optime tunc ad drachmam dimidiam, usque ad drachmam integram, repetitis vicibus, in febribus intermittentibus et acutis, quando ex debilitate aegroti mala timenda sunt, exhibetur. Imo eiusdem virtus singularis in morbis chronicis quoque manifestatur, si quidem praemissis praemittendis, corticem et in *fuore albo* eximio cum fructu adhibuit Ill. PRAESES. Vid. EIVSD. *Fränk. Samml.* Part. XXXII. p. 138.

§. XXV.

Olea destillata aetherea aromatica equidem partium solidarum tonum intendere, atque hoc modo functionum sufflaminatarum novam administrationem producere, valent. Cum vero facile hinc calidioribus guttulis orgasmus concitetur, optime has in essentiis solvere, vel in liquore anodyno, possumus, ut ita et quartam guttulae, nunc dilutae, partem exhibere, et sensim ea agere possimus, quae in largiori dosi nocerent. Sic et pulveribus digestivis, stomachicis, imo et temperantibus, instillare guttulas oleorum destillatorum v. c. *maicis, caioeput, cer.* ita instillare possumus, v. c. g. si drachmae pulveris unquam guttulam addimus, et una conterimus, huius tertia pars una evadat dosis, si praeter digestionem, et temperationem, simul toni ventriculi, et intestinorum, a flatibus praecipue angustantibus adfectorem, rationem habere volumus.

§. XXVI.

Mercurium sublimatum corrosivum, acerrimum venenum, hodie tamen in debellanda lue venerea vsurpari, novimus:
Sed

Sed quo minus venenum noceat, cauere solent eiusdem patroni, vt dum v. c. grana XII. eiusdem in libris duabus spiritus frumenti soluunt, atque mane et vesperi cochlear vnum solutionis huius propinant, atque decoctum aliquod superbibere iubent, hac ratione mercurius in refracta admodum dosi ingeratur, quamuis et adhibita hac methodo rite subiecta aestimanda sint, quibus conueniat heroicum medicamentum: et quando hoc, vt reliqua mercurialia, praestanda praestiterit, iterum e corpore eliminetur. V. b. IVNCKERI *Therap. general. Tab. VIII.* p. 249. Refracta quoque dosi veneni vegetabilis, *solani scilicet furiosi*, seu *Belladonnae*, oritur, si decocti foliorum primis diebus cochleare vnum sumitur, atque postea duo, tria cochlearia sumuntur, qua methodo illud intendunt, vt in cancro occulto, et aperto, affluxus discutiat, acrimonia inuoluatur, et ope principii vaporosi doloris exquisitissimi, cancerum comitantes, sedentur. Cf. *Diff. D. OETINGERI sub praesid. b. ALBERTI habit. de Belladonna.* et *HAMBURG. MAGAZIN. Vol. XVI.* p. 511. Hac autem methodo deleterium aliquod in medicamentum transire potest, si id, quod virulentum est, virtutem medicam demum, in minori dosi datum, exferit. Nostro autem tempore plura alia virulenta vegetabilia, vt *Cicutam*, *Hyoscyamum*, *Napellum*, *Daturam*, *colchicum*, *et.* in usum tracta esse quis nescit? Sed cum ipsissima haec vegetabilia interdum suos praestiterint effectus, interdum autem, quamuis et in largiori dosi propinata, spem fefellerent, interdum minus felices produxerint effectus, non est, vt nunc nos hisce immisceamus, optamus tantum, vt et circa haec pharmaca nunquam experientia sit fallax, aut si fuerit, ad certitudinem euehatur.

§. XXVII.

Licet autem hucusque causas, usum, ac in datis casibus praestantiam, dosium refractarum medicamentorum praecipue

cipue considerauerimus, tamen etiam ad scopum *diaeteticum* veri sententia nostra potest. Praeter enim ea, quod largiores laetaeque epulae plethoram, et cunctos ex ea propululantes morbos, si vita praecipue accedat desidiōsa, generent, *tuburcinatio* et festinata *voracitas* ventriculo admodum nocet, et vitiosam producit coctionem, quod ab haustibus largioribus *potulentorum* admodum quoque timendum est. Sed *refractis* praecipue *vicibus cibi* conualescentibus, et e febribus, praesertim acutis, feliciter restitutis, offerendi sunt. Quamuis enim ex diuturna inedia, et ob varias perpetratas euacuaciones fames et appetitus necessario sequatur, tamen magis *saepiuscule*, et *parum vice simplici*, cibi assumendum est, ne statim ventriculo, et systemati chylopoëi escos, et sanguificationis, et nutritionis, nimium obrudatur, quo subigendo, et in debitum nutrimentum conuertendo, nondum ob debilitatem par est, ex quo alias nouorum morborum ponitur fundamentum. Cuncta itaque, vti ex dictis patet, sic ordinanda sunt, vt moderata durent, et sit modus in rebus, et certus denique

F I N I S.



Und so erscheinst Du, anheut, in vollem Glanz;
 Hygea reichet Dir den lorbeerreichen Kranz,
 Erheilet Dir das Recht, die Krankheit zu zerstören,
 Und der Gebauer Ruhm in Zukunft zu vermehren.
 Schau noch auf iene Brust, in der Dein Vetter ruht;
 Desselben Beispiel giebt Dir immer frischen Muth,
 Dich eben so, wie Er, empor und hoch zu schwingen,
 Und in das Heiligthum der Heilungskunst zu dringen.
 Schau den Gamaliel, schau Deinen Vater, an,
 Wie dessen Vortrag doch die Herzen rühren kann.
 Beeifre Dich also die Kranken zu erfreuen,
 Wenn sie, in ihrer Noth, nach Dir um Hilfe schreyen.
 Schau nach dem kein Arhen, das ein Gebauer ziert,
 Wo Er, mit weiser Hand, der Themis Wage führt.
 Selbst die gelehrte Welt verehrt sein gründlich Wissen,
 Wie Er geschäftig war, die Rechte aufzuschließen.
 So schleuß auch Du, mein Freund! Hygeens Wahrheit auf,
 Befördre so, mit Ruhm, den schnellen Lebenslauf;
 Sey stets der Kranken Trost bey ihrem strengen Leiden,
 Und frage nichts darnach, will Dich ein Feind beneiden.
 So ziehe denn umkränzt in das gepriesene Land,
 In welchem man zeither des Krieges Spuren fand.
 Doch • wirfst Du auch manchmal dahin die düstern Blicke,
 So denke dann zugleich an uns allhier zurücke.

Hiermit empfiehlt sich dem hochgeehrtesten Herrn
 Doctoranden ein Landsmann,
 Magnus Adolph von Eberhardt; P.



VIRO PRAENOBILISSIMO
DOCTORANDO ERVDITISSIMO
IO. CHRISTIAN. EHRENF. GEBAVERO
FAVORI ATQVE AMICO SVO DILECTISSIMO

S. P. D.

CASP. SAMVEL. WEISMANNVS
ERLANGENSIS. MED. CVLT. OPPON.

Copiunctissima, quae inter nos semper viguit amicitia admonere videtur, vt **TIBI, VIR** Praenobilissime, de dignitate, qua his diebus ornandus es ex intimis animi penetrabilibus gratuler. Dissertatio **TVA**, quae magnum ingenii **TVI** documentum exhibet, multoque scientiae praeclarae apparatu referta est, et quam maiori adhuc gloria, cathedram publicam ascendendo, defensus es, solidam **TVAM** doctrinam, quam amici **TVI** priuatim modo hucusque admirati sunt, omnibus notam reddet, ita, vt quilibet rerum medicarum intelligens, dignum **TE** Aesculapii filium in posterum habiturus sit. Tanta enim est ingenii **TVI** felicitas, tantaque eruditio **TVA**, vt etiam adversarii **TVI** magni illam aestimandam iudicent. Vt solennis inaugurationis dies perenne indefessi studii **TVI** monumentum exhibiturus est, ita viam pulcherrima nanciscendi praemia aperiet. Fruere fructibus, quos invidia digna peritia **TVA** alatura est! Crescat fama **TVA** in illud fastigium, vt, celebre nomen, quod illustris *patruus* **TVVS**, reliquique gloriose memoriae maiores **TVI** iam dudum acquisuerunt, in **TE** non renouetur tantum, sed et continuetur. Hac sorte felicissima tua gaudebunt *parentes* **TIBI** *charissimi*, gaudebit *patria* **TVA**, gaudebit et colet **TE** orbis litteratus, laetabuntur omnes amici omnesque boni, et cum his quoque ego summam ex felicitate **TVA** semper percepturus sum laetitiam. Doleo modo, quod praesentia **TVA** mihi suauissima in posterum carere cogar. Interim quum *parentes* et *patria* **TVA** manus ius **TE** possidendi habent, quam nos, discessui tuo repugnare non audemus. Optamus potius animitus, vt saluus atque incolumis **TVOS TVAM-que patriam** reuisas. illorumque amplexibus dulcissimis laetus fruaris. Deus autem ter optimus, terque maximus, efficiat clementia sua, vt omnia **TVA** conamina in **TVORVM, patriae** imo et **orbis litterati** salutem cedant! Vale, *suauissime*, inique amare absens etiam perge. Dabam Erlangae d. 12. Iul. MDCCLXV.



Sir!

How could my tender heart be insensible on Such a day, as the present, on a day, that is in witness of your true learning and on wick you are to be crowned with praise and dignity for it? I and all, who love you so uprightly, as i do, shall necessarily be taken up with the greatest sensibleness, if they behold, that your diligence and abilities, you have made capable and worthy for Doctorschip in Physic are so well rewarded; and i cannot conceal the blessed motions of true friendship, and the vivacious pleasure of my mind, i am sensible of on this occasion; and i cannot forbear to tell you, how much i am congratulating you, and wishing from all my heart a continual increase of happines and felicity. But Sir; as joyfull my heart partakes of your fortunate promotion, as much it is contrited, when i remember, you part now from me and your other friends to return in your native country where you are expected with the utmost longing.

How mournful i am remembring that parting! Yet so demands it the fate; you shall be remoted from me: Persuaded of your Kindly remembrance, Dearest Friend, wick consoles me and your other friends, and wishing you all blessings from heaven and a fortunated travel; J have the honour to be for ever with te utmost tenderness

Sir

Your true friend and most obliged
servant

C. O'TT, from Anspac,
Student of the Laws.

PATRIBVS VRBIS PATRIAE
VIRIS

ILLVSTRI BV S PRAENOBILISSIMIS AMPLISSIMIS
CONSVLTISSIMIS PRVDENTISSIMIS
CIVITATIS LIGNICENSIS

DIRECTORI
CONSVLIBVS
SYNDICO

AC RELIQVIS

SENATORII ORDINIS MEMBRIS
DE CIVITATE PATRIA
LONGE MERITISSIMIS

DOMINIS AC PATRONIS SVIS

OMNI QVO PAR EST HONORIS
ATQVE REVERENTIAE CVLTV
PROSEQVENDIS

HANC
DISSERTATIONEM INAUGURALEM

CEV PIETATIS DOCUMENTVM
ET PRO COLLATIS IN SE BENEFICIIS
QVAM MAXIMIS

DEVINCTISSIMI ET GRATISSIMI ANIMI TESSERAM
CVM ARDENTISSIMO
PRO INCOLVMITATE PERPETVA

AC
FELICITATE VOTO

OBSERVANTISSIME DAT DICAT DEDICAT
ET

FAVORI ATQVE BENEVOLENTIAE EORVM
SE SVAQVE STVDIA COMMENDAT

TANTORVM VIRORVM

DEVOTISSIMVS AC STVDIOSISSIMVS CVLTOR
IOANNES CHRISTIANVS EHRENFRIEDVS GEBAYER,

AB: 38 $\frac{15}{1,4}$

X2500786

316





18

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**DOSIBVS REFRACTIS
MEDICAMENTORVM**

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO CHRISTIANO
MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE REL. BVRGGRAVIO NORIMBERGAE REL.

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
P R A E S I D E
D. HENRICO FRIDERICO DELIO
SERENISS. MARGGRAV. BRANDENB. CVLMB. CONSIL. AVL.
MEDICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
ACADEM. IMP. NAT. CVR. NEC NON REG. SOCIET. SCIENT.
MONSPELIENS. ET ACAD. SC. ET ART. RHOTOMAG. SODAL.

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS LEGITIME OBTINENDIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS
IO. CHRISTIAN. EHRENF. GEBAYER
LIGNICENSIS SILESIVS.

D. IVL. M D C C LXV.

ERLANGAE
TYPIS WOLFGANGI WALTHERI.

